

## 1556 gener 8. Casa del Consell General

*Els representants del Consell General de les valls d'Andorra nomenen Antoni Pal, d'Ordino, Bernat Rossell, de les Bons, parròquia d'Encamp, Gervasi Moles, d'Andorra, Pere Ricart, d'Andorra, Bartomeu Ricart, d'Engordany, Joan Bonit, de Canillo, presents, i Joan Ribot, major de dies d'Escaldes, absent, procuradors seus en les causes que hi pugui haver contra el capítol i canonges d'Urgell i els cònsols de la Seu en relació a la reparació de camins i contra Jeroni Graells, que s'havia robat a uns gascons dintre del territori andorrà.*

[O]. Original no localitzat. — R. Nota de llibre notarial, Andorra la Vella, ANA, TCN, núm. 131, fols. 17-18v.

a. PUJAL; LLADÓS, *La Domus*, pàgs. 188-189.

Noverint universi quod nos, Guillermus Casal loci de Canillo, Ioannes Regí loci de Saldeu, consules, Ioannes Raymundi Fontana, et Ioannes Bonit loci del Vilar, consiliarii, omnes parrochie de Canillo, Bernardus Casal, Ioannes Pont loci de les Bons, consules, Ioannes Anthonius Beringuer, de Mosquera, [Ioannes] Areny, d'Encamp, consiliarii, omnes parrochie d'Encamp, Petrus Tor, d'Ensalonga, Anthonius Pal loci de Ordino, consules, Guillermus Oliva, Anthonius [Rocel] dicti loci de Ordino, consiliarii, omnes parrochie d'Ordino, Iohannes Coma loci de [Arinsal], Michael Ribot, del Puy, consules, Iohannes Giberga, de l'Aldosa, Guillermus Bons, de Pal, consiliarii, omnes parrochie de la Massana, Gervasius Moles, de Andorra, Iacobus Babot, del Puy, consules, Petrus Ricart loci [Ando]rra, Bartholomeus Ricart loci d'Angordany, consiliarii, omnes parrochie de Andorre, Anthonius Thor loci de Bexesarri, Ioannes Guitart loci de Juverre, consules, Ioannes Martí loci de Axoval, et Raymundus Danís loci Sancti Iuliani, consiliarii, omnes parrochie Sancti Iuliani, omnes nos predicti concordes et nemine discrepante, convocati et congregati ad sonum campane, prout moris est, in nostra Domo Consilii Generalis vallium Andorre, que sita est in loco Andorre Veteris, et ibi Consilium Generale tenentes et celebrantes, ubi iam alias ad tenendum Consilium Generale pro negociis communibus predictarum vallium Andorre soliti sumus convocari et congregari universitatem et singulares dictarum parrochiarum vallium Andorre facientes et representantes, habitu inter nos tractatu et matura deliberacione ac diligentí colloquio, nominibus nostris propriis et dictarum universitatum et singularium earundem, absencium, presencium et futurorum,

laudantes, approbantes omni acta, gesta et quolibet hactenus procurata per honorabilem Guillermum Oliva, de Ordino, Guillermum Bons, de Pal, Raymundum Ribot, de les Caldes, et Germanum Moles, de Andorra, sindicos nostros citra eorum revocationem, gratis et ex nostris certis scienciis, omnibus eis melioribus via, modo et forma quibus melius et efficacius de iure possimus, facimus, constituimus, creamus et solempniter ordinamus sindicos, actores et procuratores nostros et dictarum universitatum et singularium veros, certos et speciales et ad infrascripta etiam generales, ita tamen quod specialitas generalitati non deroget nec econtra, videlicet vos predictos honorabiles Anthonium Pal, de Ordino, Bernardum Rocel, de les Bons, parrochie d'Encamp, Gervasium Moles, de Andorra, Petrum Ricart, de Andorra, Bartholomeum Ricart, d'Engordany, Ioannem Bonit, de Canillo, presentes et onus huiusmodi sindicatus in vos sponte suscipientes, et Ioannem Ribot, maiorem dierum loci de les Caldes, licet absentem, tanquam presentem, et utrumque vestrum insolidum. Ita quod primitus occupantis condicio pocior non existat nec deterior subsequentem, sed quod per unum vestrum inceptum fuerit per alium seu alios nichilominus mediari valeat et finiri ducique totaliter ad effectum, ad videlicet pro nobis, dictis constituentibus, universitatibus et singularibus omnium parrocharum dictarum vallum Andorre, et earum qualibet agendum, ducendum, tractandum, procurandum et fine debito terminandum pro nobis et nomine nostro ach dicte universitatis omnes et quascumque causas, lites seu controversias, tam motas quam movendas et tam principales quam appellatorias, que sunt seu esse sperantur inter nos, dictam universitatem et singulares dictarum vallum Andorre, agentes vel deffendentes ex una, et reverendum capitulum et canonicos ecclesie Urgellensis et magnificos et providos viros, dominos consules ac universitatem civitatis Urgellensis seu eorum sindicos et procuratores, pretextu dels caminatges que havien adobar fins al pont de Oliana y de fer del pont a la Garanta et alias, prout in processu et adversus et contra Hieronimum Graells y altres guardes del General de la collecta de la Seu d'Urgell et deputatum dicte collecte pretextu dels dinés que Graells levà a uns gascons dins lo terme de Andorra y passar los límits envés lo terme de Andorra et alias quibusvis rationibus se causis, ac etiam adversus alias quascumque personas, corpora, collegia singularesque personas ecclesiasticas vel seculares, agentes vel deffendentes partibus ex alia, tam causis supradictis respective quam aliis quibusvis rationibus, iuribus, titulis sive causis quocumque nomine senseantur. Et pro premissis et eorum occasione coram illustrissimo locumtenente generali principatus Cathalonie, regenti cancellariam ceterisque doctoribus regie audiencie civitatis Barcinone et coram nobilibus et magnificis dominis diputatis

maioribus Generalitatis Barcinone et eorum locatenentes et assessoribus ac aliis quibusvis officialibus, iudicibus et personis ecclesiasticis vel secularibus, ordinariis et estraordinariis, delegatis vel subdelegandis, auctoritate regia vel alia quavis fungentibus et functuris, et in dicta regia audiencia et quibuscumque curiis et consistoriis standum, comparendum, et interessendum de iure docendum, ponendum et articulandum, libellum et libellos, peticiones et demandas dandum et offerendum, et ex adverso datis et oblatis respondendum et contradicendum, littem seu lites contestandum, testes, instrumenta, literas, provisiones et alia probationum genera in iudicio p[rodu]cendum et publicari petendum ac requirendum et contra ex adverso produc[endum], obiiciendum, crimina, deffectus et alia opponendum, disputandum et allegandum de calumpnia et alias in animas nostras et dicte universitatis et singularium iurandum et ex adverso iuri petendum, clama et retroclama faciendum et exponendum, protestandum quoque et requirendum et protestatis et requisitis ex adverso respondendum, ius et de iure super bonis nostris et dicte universitatis et singularium firmandum, et pro ipsis firma seu firmis omnia et singula bona nostra et dicte universitatis obligandum et hypothecandum, contumaciam seu contumacias accusandum, emparas, oppositiones et sequestraciones fieri faciendum, petendum et requirendum et eas cancellari faciendum et consentiendum in causa seu causis renunciandum et concludendum, sentenciam et sentencias, tam diffinitivas quam interlocutorias, et declaraciones quascumque petendum et audiendum et ab ea vel eis et a quocumque gravamine et processu illa[to] vel inferendo, cominato vel cominando, appellandum, provocandum et recurrentum, apostolos reverenciales vicibus geminatis petendum et recipiendum, appellacionem vel appellaciones presentandum, persequendum et debito fine terminandum, sentenciam vel sentencias que pro nobis et dicta universitate late sunt seu ferentur intimari et debite executioni demandari petendum et instandum ac pro bistractis se expensis ejecuciones quascumque faciendum et instandum, iudicem seu iudices, loca et notarios impetrandum et ipsos seu ex adverso impetratos seu impetrandos recusandum et suspectos dandum, causas suspicionum et recusacionum dandum et probandum et inde quecumque instrumenta necessaria et opportuna fieri faciendum et petendum, necnon syndicum vel sindicos et procuratores, unum vel plures, ad predicta substituendum et eum vel eos ac alios quoscumque per alios sindicos iam substitutos si videbitur faciendum, et demum ac generaliter omni alia et singula faciendum, dicendum, gerendum, tractandum, procurandum que in item et circa littes fieri requirantur quecumque sint utilia quomodolibet et opportuna et que nos, dicti constituentes, et singulares dictarum universitatum facere possemus ac possent si personaliter

interessesemus vel interessem etiam si maiora aut graviora fuerint superius expressatis, volentes vos et substituendos a vobis relevare indemptes ab omni onere satisdandi fideiubendi in hiis. Nos enim comittimus vobis et dictis sindicis et procuratoribus nostris et unicuique vestrum et substituendo vel substituendis a vobis in et super predictis omnibus et singulis et super deppendentibus et emergentibus ex eisdem quovis modo plenarie vices nostras ad plenam ac liberam et generalem administrationem cum plenissima potestate. Promittentes semper habere ratum, gratum, validum atque firmum quicquid per vos, dictos sindicos et procuratores nostros, et substituendum vel substituendos a vobis procuratum et actum fuerit sive gestum et non revocare sub bonorum nostrorum et singulorum dicte universitatis omnium et singulorum mobilium et inmobilium, presencium et futurorum, hypotheca et obligacione. Et pro maiori securitate et corroboracione predictorum, non vi nec dolo sed sponte iuramus in animas nostras per dominum Deum et eius sancta quatuor Evangelia manibus nostris et cuilibet nostrum dextris gratis corporaliter tacta sub omni iuris et facti renuntiatione.

Actum est hoc in loco Andorre et in Domo Consilii Generalis vallium predictarum Andorre, die octava mensis ianuarii, anno a nativitate Domini millesimo quingentessimo quinquagesimo sexto.

Sig++++++na nostrum Guillermi Casal, Ioannis Regí, Ioannis Raymundi Fontana, Ioannis Bonit, Bernardi Casal, Ioannis Pont, Ioannis Anthonii Beringuer, Ioannis Areny, Petri Tor, Anthonii Pal Guillermi Oliva, Anthonii Rocel, Iohannis Coma, Michaelis Ribot, Iohannis Giberga, Guillermi Bons, Gervasii Moles, Iacobi Babot, Petri Ricart, Bartholomei Ricart, Anthonii Thor, Ioannis Guitart, Ioannis Martí et Raymundi Danís predictorum, qui hec laudamus, firmamus et iuramus.

Testes huius rey sunt: honorabiles Iohannes de Luch loci del Spitalet, comitatus Fuxi, et Petrus Syries, mercatoris loci Andorre habitatores<sup>1</sup>.

1. *El ratllat amb tres línies verticals a totes les pàgines i les lletres ct a l'inici del document, al marge esquerre, que equivalen a l'expressió clausum traditum, indiquen que es va fer el document en pública forma, que va ser clausurat pel notari i lliurat als interessats. Al marge esquerre, a l'inici del document: Sindicat.*